13.

Q. D. B. V.

De

NINO URBE,

PRAESIDE

CONRADO SAMUELE

SCHURZFLEISCHIO,

PROF. PUBL.

disputabit

M. ALBERTUS MENO Verpoortenn/

In Auditorio Maiori,


ad V. Id. Iul.

cIↄ Iↄc XCVI.

CUM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio LII.

LIPSIAE, Apud NICOLAUM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.



I.

RVdera Nini, urbis in Oriente principis, et rerum Aſſyriarum dominae qvondam et regnatricis, varie diſperſa, nec ubiqve obvia, neqve ab omnibus aeqve diligenter cuſtodita et aſſervata, colligam, et velut in tenuiſſimo pulvere deliteſcentia perqviram. Sed ultimae antiqvitatis reverentia fecit, maieſtasqve regni, omnium, qvorum apud nos qvidem memoria ſupereſt, facile primi, ut ruinas has potiſſimum ſcrutari, atqve inde materiam operi huic tumultuario ſumere inſtituam. Qva in re mihi non eſſe fraudi cenſeo, qvod viri literis eruditi multa ſubinde huc pertinentia excuſſerint iam, atqve e tenebris et caligine urbis eruta in lucem produxerint. Non enim id egerunt, ut aliis viam ad fontes, qvibus ipſi ſitim explerunt, praecluderent, ſed ut aperirent potius, et qva ad arcem eruditionis eundum eſſet, non dictis tantum, verum etiam exemplis commonſtrarent. Enimvero ipſa ſententiarum divortia magis cogitandi inqvirendiqve occaſionem praebent, ut rem hanc ab ipſis antiqvitatum primordiis repetere neceſſe habeam, ne qvae tantis viris interdum exciderunt nec opinantibus, ſola nominum auctoritate nos in errorem inducant. Confragoſae et praeruptae viae ſunt, mutilis veterum ſcriptorum fragmentis paſſim oppletae, qvin et turbatis apud ipſos veteres priſcarum rerum veſtigiis confuſae, per qvas diverſa ratione, ſuſpenſo nonnulli gradu, alii impetu qvodam ac velut ſaltu penetrarunt. Vt adeo mirandum non ſit, ſi obiter aut accurate, propius aut e longinqvo, hoc alterove a latere inſpecta, diverſam ſui ſpeciem intuentibus praebuerint, et qvum eodem omnes tenderent, ut nobis ſcilicet ad ſuperandas moleſtias planius iter redderent, magisqve expedi-

tum, diverso tamen ipsimet tramite ivisse deprehendantur. Tantos igitur duces, passu licet impari, seqvutus, aeqvum me ab erudito lectore orare confido, si conatui meo, si minus favorem veniam certe dari, etiam atqve etiam contendero. Non tam longe qvidem a tenuitatis meae conscientia absum, ut veteribus novitatem, obscuris lucem dare me non posse, penitus ignorem; sed nec grandius qvid, qvale invidiam movere possit, verum qvod disqvisitioni publicae more Academico sufficiat, polliceor; nec rudes has lineas veterum Historicorum pulveri inscriptas frustra me duxisse credo, tantoqve minus dubito, qvin apud aeqvos bonosqve iudices ipsae se excusare possint.

VRbs Ninus ut moenium amplitudine, ac maiestate diuturnitateqve imperii tantum non omnibus, qvotqvot uspiam fuerunt, urbibus antecelluit, ita pariter de antiqvitatis gloria cum plerisqve earum facile potest contendere. Qvamvis enim viri eruditi, qvi in temporum rationibus cum sempiterna nominis sui gloria versati sunt, circa Nini Regis imperium cum annis ab orbe terrarum condito, aut a generali eluvione Noachica, comparandum in diversa abeant, et cum *Calvisio Helvicus* eius initia in A. M. MDCCLXXVIII. *Petavius* autem in A. M. MDCCC LXXIV. collocet, apparet tamen, tertio saltem seculo post siccatas repurgatasqve ab aqvis terras regnavisse Ninum, et urbem hanc sui nominis condidisse. Qvae non difficulter ei probabuntur, cui Petavianae rationes, nobis hac in re prae ceteris probatae, incognitae non fuerint. Nam ab initio Cyri, qvod omnium consensione in Olympiadis LV. annum primum, qvi mundi conditi 3425. Periodi Iulianae 4155. est, incidit, annis CCCXVII. retro numeratis, qvibus secundum *Ctesiam* et *Diodorum* in Media regnatum est, adiunctis MCCC. qvot imperio Assyrio tribuuntur, ad annum a diluvio CLIII. devenienus, ut annus Nini primus post Beli annos LXV. in annum CCXVIII. annus autem Nini conditae in medium seculi illius

ca-

cadat. Nam aliqvod tempus apparatui bellico et exercitationi militum, expeditionibus item contra Babylonios, Armenios, Medos susceptis tribuendum, anni qvoqve XVII. mittendae sub iugum Asiae reliqvae integri relinqvendi sunt, qvibus exactis irritae contra Bactrianos minae aliqvoties iteratae, ut vix ante annum regni trigesimum ad urbem condendam Ninus Rex animum adiecisse videatur. Qvod enim *Petavius l. XIII. de Doctr. Temp. p. 519.* XVII. annis a Diodoro memoratis omnia haec Nini bella prospere gesta includit, praeter Auctoris mentem fieri credimus.

Si qvis autem breviora haec esse spatia putaverit, qvam ut in iis humanum genus in eam potuerit augeri multitudinem, qvae tantae urbi, totqve ac tantis imperiis condendis sufficeret, eum ad rationes *Petavii l. IX. de Doctr. Temp. c. 14.* delegatum volo; et calculos ponere iubeo, atqve eos tantummodo, qvi primo alteroqve seculo ex filiis Noae propagari potuerunt, in summam colligere, si singulis annis singulos statuamus generasse, liberisqve ab anno aetatis vigesimo eandem foecunditatem tribuamus, perinde ac *Bocharti* consilium est *lib. II. Phaleg, c. 16.* Inprimis autem numerus excresceret, si parentes maioresve omnes adhuc in vivis extitisse, *Epiphanio* crederemus, qvi *lib. I. adv. haer. c. 6.* de Tharae aetate verba faciens: ϰ̀ ὐδεὶς, inqvit, πώποτε τῶν προτέρων ἀνθρώπων πρὸ πατρὸς υἱὸς ἐτελευτα, ἀλλὰ πατέρες πρὸ παίδων τελευτῶντες τὺς υἱὺς διαδόχυς κατελίμπανον, *Nec qvisqvam priscorum hominum ante parentem filius decessit, sed patres ante morientes, qvam liberi filios heredes reliqverunt.* Verum, qvo minus assentiamur, divina Codicis sacri impedit interceditqve auctoritas. Sed nec antiqva, aut recentiora mirae foecunditatis exempla deessent, si necesse foret, qvae passim, sigillatimqve apud *Dannhauerum*, contra impias Peyrerii nugas disputantem, videri possunt.

Parentem conditoremqve urbis literae diviniores *Assurem*,

reliqvarum gentium ſcriptores magno cenſenſu *Ninum* fuiſſe, commemorant. Qvibus et inter ſe, et cum veritate convenire, non difficile probatu eſt, et paulo altius repetendum videtur. Nam circa Moſis verba, qvae *Gen.X,11.* legimus, diverſas in partes abeunt Interpretes, qvorum nonnullis Aſſur populi, aliis regionis, reliqvis viri nomen eſt. Et horum qvidem alii ad Semum, alii ad Chamum Aſſuris referre genus volunt. Eſt etiam, qvi a Iapeto eius arceſſit originem. Qvae interpretum diſſidia rem eſſe difficultate plenam perſvadent. Qvum igitur aliqvam in ſententiam me qvoqve diſcedere oporteat, mihi eam prae ceteris probari non diffiteor, qvae Aſſur viri nomen eſſe, et Chami ex Nimrodo pronepotem, neqve a Graecorum Nino diverſum tradit. Nam qvod *Aben Esra* Iapeto prognatum dicit, id qvum nullo idoneo argumento affirmet, credere non poſſum, ſuſpecta iampridem Hebraeorum fide in rebus ad regna mundi, ut vocant, pertinentibus. Qvo minus autem ad Semi filium referamus, aut ad poſteros ſaltem Aſſuris Semidae, qvod cum multis *Auguſt. lib. XVI. de Civ. Dei, c.3.* facit, non permittit ordo gentium a Moſe deſcriptarum. Qvi de populo, vel gentili certe nomine explicant, putantqve Moſen dicere, exiviſſe ex terra Sinear Aſſyrios, vel Aſſyrium illum, ſcilicet Ninum; qvoniam non magnopere ſententiae noſtrae adverſantur, nec rationibus firmari poſſunt, multam in refutando operam non reqvirunt. Qvanqvam non longe *Hieronymus* abit, qvi *in Traditionibus in Geneſin: de Terra,* inqvit, *illa Aſſyriorum pullulavit imperium, qvi ex nomine Nini Beli F. Ninum condiderunt.* Gravior autem controverſia nobis eſt cum iis, qvi Moſi adhuc de Nimrodo ſermonem eſſe, eumqve dici exiviſſe in Aſſyriam, atqve in ea Ninum codidiſſe propugnant. Tanta enim rationum ſpecie nituntur, ut viros eruditorum Principes in partes ſuas traxerint. Ac e noſtratibus qvidem *Io. Gerhardus in Comment. in h.l.* et poſt eum *Seb. Schmidius* in nova divini Codi-

di-

dicis Latina interpretatione huic ſententiae calculum adiecerunt; illamqve erudite inprimis *Sam. Bochartus* tuendam ſuscepit *in Geogr. S. Part. I. l. IV. c. 12.* qvibuscum *Chaldaeus Interpres* facit. Nos autem, ut, ſalva tamen magnorum nominum veneratione, Aſſur viri nomen eſſe, non regionis, fateamur, et locutione *Moſaica*, et qvorundam Interpretum, ſpeciatim *Lutheri*, auctoritate compellimur: pariterqve ut Aſſurem Nimrodi F. neqve alium a Nino Beli F. fuiſſe aſſeramus, ſcriptorum reliqvorum cum Hiſtoria diviniore conſenſu, hac ratione expedito, permovemur. Nam altera ratio, dum verba Moſis conſvetae loqvendi formae convenienter explicare vult, ſuppleat aliqvid, neceſſe habet, uti et Bochartus אשור pro לאשור dici annotat. Qvanqvam autem illud a natura lingvae ſanctae non abhorrere concedimus, eo tamen, niſi interpretandi leges aperte iubeant, deveniendum non eſſe, affirmamus. Praeterea obſervatum eſt, vocem אשור in eiusmodi poſitu ſemper ה, qvod Technici locale vocant, aſſumere, ut conſtat ex Gen. XXV, 18. II. Reg. XV, 29. c. XVII, 23. Eſa, XIX, 23. qvod hic prorſus abeſt. Itaqve intelligimus Nimrodi Filium, qvi Aſſur dictus eſt, ſub Nini autem nomine reliqvis ſcriptoribus celebratus. Vbi ſi Ninum, qvi Niniven condidit, Beli F. eſſe, a Belo autem Babylona conditam, probavero, Nimrodum Belum veterum fuiſſe, et parentem Nini, ſummo iure, praeſertim qvum rationes temporum egregie conſentiant, mihi videor poſſe affirmare. Hac enim vera et evidenti nota Moſes Nimrodum nobis demonſtrat, qvod potentiam Babylone primum firmarit. Jam vero qvicunqve genus Nini memoriae prodiderunt, eum Belo genitum fuiſſe tradunt. De qvo nobis vel qvae *Euſebius habet lib. IX.* προπαρασκ. ex Alexandro Polyhiſtore, aut etiam *Cephalaeonis* fragmenta fidem poſſunt facere, qvorum nonnulla in Euſebianis a *Scaligero* referuntur, ubi p. 30. haec qvoqve legas: τὸ παλαιὸν τῆς Ἀσίας ἐβασίλευσαν Ἀσσύριοι. τῶν δὲ ὁ Βήλου Νῖνος. Qvi ſcriptor ex Hellanico, Cteſia, Herodoto, ſua deprompſiſſe teſta-

ſtatur. Deinde *Africanus* vetuſta literarum monumenta ſeqvutus, atqve ex eo *Euſebius* ſeriem Regum Aſſyriae ita conſtruunt, ut Belus primus, alter ab eo Ninus ſit, qvibuscum ex Latinis *Tertull. de Pallio c. 2, Auguſtinus l. XVI. de Civ. Dei, c. 17. et l. XVIII. c. 2. et Hieronymus in Chronico Euſebiano* conſentiunt, ut recentiores taceam, qvi ſua his ex fontibus hauſerunt. Cui autem primum extructio magnae Babylonis debeatur, ut non adeo explicatum eſſet, Graecorum ſcriptorum vel negligentia fecit, vel crudelitas. Qvorum pleroſqve ſi hic teſtes admittamus, Semiramis facti gloriam ſine dubio auferet. Sed omnium eorum fidem *Beroſus* apud *Ioſephum l. I. c. Apionem*, elevat, eosqve vane credidiſſe, Babylona ab Aſſyria Semiramide ſtructam, atqve, eiusdem eſſe opera, qvae circa ſint, admiranda, falſo ſcripſiſſe, graviter teſtatur. Qvod non invidia et aemulatione gloriae, ſed ex vero a Beroſo proditum fuiſſe, non fama tantum viri, et rerum Chaldaicarum notitia exactior, verum ſacri qvoqve ſcriptoris auctoritas perſvadent, qvae Babylona Semiramide vetuſtiorem aperte tradit. Praeterea Babylonem a Semiramide conditam, atqve ab eadem reliqva admiranda opera perfecta eſſe, etiam ex eo in dubium vocari poteſt, qvod *Herodotus in Clio* Semiramidem, qvae inter Reges Aſſyriae cenſeatur, πέντε γενεαῖς tantum ante Nitocrin, Cyaxari Medo σύγχρονον, vixiſſe dicat; qvae intervallum CLXX. fere annorum efficiunt; qvoniam, ipſo explicante *Herodoto in Euterpe*, γενεαὶ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεα ἐστί. Neqve enim *Scaligeri* correctio, qvae *in Notis ad fragmenta libris de Emend. Temp. annexa p. 42.* pro πέντε, πεντήκοντα ſcribit, ſententiae ſcriptoris convenit; de qvo nec certum eſt, an Aſſyriorum imperium tantae putaverit eſſe antiqvitatis? qviqve Semiramidi ſolos in Babylonia aggeres aſcribens Nitocrin, ut συνετωτέρην, longe praefert. Alia autem fuerit, oportet, Semiramis, de qva *Porphyrius in iisdem fragmentis pag. 6.* qvod ante Iliaca, vel circa illa tempora fuiſſe memoretur, et forte illa eſt, cuius mentio in *Excerptis Latino-*

bar-

barbaris Thesauro temporum insertis p. 60. occurrit, ubi post Amintum (qvi alias Amintes est) Actosai et Semiramis femina ann.XXIII. ponitur, qvae Scaliger ex his Graecis: Ἄτοσσα ἡ καὶ Σεμίραμις, depravata putat. Nisi cui intervallum CCL. annorum ab hac Semiramide usqve ad annum, qvo confixus est Sol ab Acheis (ita enim ineptus scriptor Graeca: ἥλω ἴλιον ὑπὸ Ἀχαιῶν, expressit, conf.p.52.et 54.) maius videatur, qvam qvod cum Porphyrio componi possit. Circa eadem tempora in *Latinis Eusebii Chronicis ad num. DLXXX.* cum Belocho Filia Atossa, qvae et Semiramis, annos XII. regnasse perhibetur, *in Graecis* autem *a Scaligero collectis* non comparet. Vnde in eorum sententiam non inviti concedimus, qvi Belo conditae Babylonis laudem vindicant; qvos *apud Voss.de Idolol.l.I.c.24.p.m.180. Bochartum in Phaleg.l.IV.c.14.p.m.263.* collectos videas. Vbi inprimis *Dorothei Sidonii* verba luculenta sunt: Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα. Qvae *Bocharto* qvidem vanitatem Phoenicum redolere videntur, Belo suo id, qvod Assyrii erat proprium, arrogantium. Dispiciendum tamen, annon Assyrius qvoqve Belus, Tyrius, a Poeta praesertim, dici potuerit. Eam sane regionem Chami filios sub regni eius initia iam habitasse, lingvarum confusione divinitus dissipatos, a vero non adeo alienum est; ut nihil prohibeat, qvo minus Belus, Babylonis conditor, e terris Tyro vicinis in Chaldaeam transire, atqve hac ratione Tyrius appellari potuerit. Nec video necesse esse, ut Tyrium Belum non alium, qvam qvi primus Tyri regnavit, dici potuisse credamus, qvum nulla firma ratione constet, antiqvioris alicuius Beli, aeqvalis cum sua gente originis, qvi et Babylonia condiderit, apud Phoenices nullam extitisse memoriam. Baalis sane cultus Mosis temporibus per Orientem iis etiam oris latissime diffusus, Beli cuiusdam antiqvioris gloriam nec iis gentibus ignotam fuisse, indicio est. Qvod si qvis, Belum Assyrium nulla ratione Tyrium dici posse, contendat, eo

qvod Tyrus poſtea demum condita, eadem ratione Dorotheum a vanitatis crimine defendemus, qva Homerum *Velleius l. I.c.3.* excuſat, qvod Iliaca componens tempora, Corinthi nihilominus meminiſſet.

Reſtat, ut paucis, congruantne tempora imperio Aſſyrio ab Hiſtoricis tributa cum Nimrodi aetate, diſpiciamus. Vbi Reges Chaldaeorum ab Aloro usqve ad Xiſuthrum, *Abydeno, Beroſo, Apollodoro* memoratos, qvi per qvadringenta et triginta duo annorum millia imperium geſſerint, nihil moramur. Si qvid enim veri ſubeſt, primi aevi memoria ad Noen usqve, qvi ab Adamo nonus fuit, ſub his fabularum involucris continetur. Sane qvae in *Collectaneis Euſebianis p.8.* Alexander Polyhiſtor ex Beroſo de diluvio ſub Xiſuthro refert, aptiſſime in Noen conveniunt, qvamvis aliter exiſtimet *Bochartus lib.I.Phaleg.c.1.p.m.4.et 5.* Nec Chaldaeorum, Arabumqve in Babylonia Dynaſtiarum, qvas ex Africano *Scaliger in Theſ. Temp p. 14.* item in *Canonibus Iſag.p.131.* recenſet, rationem habendam eſſe ducimus, qvum illorum initia diluvium Noachicum antevertant. Tutius igitur communes veterum Graecorum, et qvi cum ipſis faciunt, Latinorum calculos ſeqvimur, et regnum Aſſyriae per annos MCCC. usqve ad Arbacem Medum floruiſſe affirmamus. Siqvidem ne priſcis qvidem *Herodotus* perſvaſit, Aſſyrios, anteqvam Medorum aliarumqve gentium defectione imperium amitterent, per annos tantum viginti ſupra qvingentos Aſiam in poteſtate habuiſſe. Potior hac in parte *Cteſiae* auctoritas fuit, qvi, ut *Diodorus lib. II.* teſtatur, Aſſyriorum imperium deveniſſe ad Medos, qvum floruiſſet annos plusqvam mille et trecentos, ſecundo libro ſcriptum reliqvit. Nam qvod vulgo apud *Diodorum* legitur, ἡ τῶν Ἀσσυρίων ἡγεμονία μετέπεσεν εἰς Μήδους, ἔτη διαμείνασα πλείω τῶν χιλίων καὶ τριακοσίων, ἔτι δ' ἑξήκοντα, doctis, qvod ad poſtrema verba attinet, merito mendi ſuſpectum eſt, atqve ex *Codice Georgii Syncelli* ſine

ſine iſtis a *Scaligero* producitur *in Collectaneis p. 30.* Conf. qvae ex eodem Georgio *in Notis p. 254.* adduntur. Nec dubitatione carent, qvae ex ſua mente Diodorus poſt deſcriptum Nini excidium ſubiungit: ἡ μὲν οὖν ἡγεμονία τῶν Ἀσσυρίων διαμείνασα μὲν τριάκοντα γενεὰς, ἔτη δὲ πλείω τῶν χιλίων καὶ τετρακοσίων, ὑπὸ Μήδων κατελύθη τὸν προειρημένον τρόπον, *Imperium igitur Aſſyriorum, qvum a Nino ſub triginta Regibus, qvi ſinguli traditum a Patre regnum tenuerunt, annis plusqvam mille et qvadringentis perduraſſet, a Medis hoc qvo dicimus modo everſum eſt.* Neqve enim vel verbo innuit, qva de cauſa a rationibus Cteſiae diſſentiat, neqve etiam auctorem laudat, cuius hac in re ſeqvatur fidem. *Trogus* itaqve, qvem *Iuſtinus* in compendium redegit, Cteſiam, ut videtur, ſeqvutus, trecentos et mille annos Aſſyrios tenuiſſe imperium, pariter affirmat. Aliter rationem temporum *Velleius* init, qvi imperium Aſiaticum Aſſyrios obtinuiſſe annis mille ſeptuaginta *lib. I. c. 6.* ſcribit. Sed dudum *Lipſius* monuit, Velleium hic a librariis male acceptum videri, qvum omnes alii, praeter Herodotum, longius illi ſpatium definiant. Itaqve ſcribendum cenſet: annis MCCXXX. qvod prope a numero initio capitis ſeqventis tradito abeſt, atqve adeo haec facilis defendendi ratio videri poteſt, ſi illa verba Velleii germana eſſe probarentur, qvod tamen nec *Lipſio*, nec *Boeclero* placet. Qvicqvid tamen huius ſit, dubius ille Velleii locus noſtris rationibus officere non poteſt: qvae aera qvoqve Babylonica, a Calliſthene prodita, firmantur, ut *Helvico* et *Petavio* obſervatum eſt. Nec *Africani* calculos, annos MCCCCLXXXIV. Aſſyriorum regno dantis, ſeqvi licet, qvi ſi ad numeros Moſis Hebraicos referantur, ante tempora eluvionis Noachicae Beli initium producunt.

Annos vero MCCC a Sardanapali interitu retro numeramus, atqve ita Nimrodi vel Beli regnum circa A. M. MDCCCIX. auſpicamur. Qvamvis enim Phalegi nativitas ſingulari nota-

tione inſigniatur, et ſpeciatim cum diſperſione populorum, terrarumqve diviſione, qvae tum contigit, coniungatur, qvum altera expoſitio verborum Moſis *Gen. X, 25.* ab Hiſtoria S. longius recedat; aliud tamen initium regno Nimrodi tribuimus, ***Bochartì*** qvoqve argumento permoti, qvod extat ***in Phaleg. lib. I. c. 10. p. m. 43.***

Ex his adeo ſatis conſtare arbitramur, noſtrae ſententiae, qvae Nimrodi filium Ninum urbem ſtatuiſſe dicit, facilius cum conſentientibus veterum Hiſtoricorum placitis convenire, qvam alteri, Nimrodo illud omne tribuenti. Nam ***Bochartus*** ut externam Hiſtoriam cum ſacra in concordiam redigat, qvae Diodorus ex Cteſia de Nino dicit, pleraqve ad Patrem Nimrodum transferre cogitur. Qvo conſilio illa Moſis, Nimrodum fuiſſe inſignem venatorem, cum iis Diodori confert, qvibus magnam acerrimae iuventutis manum variis exercitationibus Ninus ad bella praeparaſſe dicitur: qvin et ſocietatem belli a Nino cum Rege Arabum initam ita explicat, ut Nimrodus intelligatur Chuſaeorum civium ſuorum opera ad regnum evectus, qvibus deinceps in Suſiana agros, praemium virtutis navataeqve operae, diviſerit. Verum iſta ingenioſe qvidem, ſed vereor, ut ſatis ſolide dicta ſint. Maioris momenti ea videntur, qvae ex nexu verborum Moſis, et loco Michaeae concludit. Etenim vix ſibi conſtare Moſis orationem, et minus aptam qvaſiqve pendentem fore, vel ut ***Bochartus*** loqvitur, ***biulcam***, ſi, poſtqvam initium regni Nimrodo Babylona in terra Sinear fuiſſe dixerat, ſeqventia ad alium referantur. *Michaeae* autem *cap. V, 5.* Aſſyriam Nimrodi terram vocari, indicio ſatis luculento, eam qvoqve in ditione Nimrodi fuiſſe. Nobis vero liceat, pace tanti viri, hic diſſentire: ſatis recte enim orationem Moſis ſibimet congruere exiſtimamus, ſi priora de initiis regni Aſſyrii ſub Nimrodo tenuioribus, ſeqventia de incremento, qvod auſpiciis et ductu Aſſuris vel Nini ſumpſerit,

rit, accipiantur. Nec causa apparet gravior, qvae terram Nimrodi apud divinum vatem, Michaeam, de Assyria potius, qvam Chaldaea exponere iubeat: praesertim qvum Magister Hebraeorum, *Abarbenel*, hic nostrae sententiae accedat. Alterius autem opinionis iugulum, qvae Assuri Semi filio tanti fundamenta imperii ascribit, haec aliaqve Bocharti argumenta directo petunt, eamqve conficiunt feliciter.

Ninus qvum rem in plerisqve Asiae populis bene gessisset, amplissimo potitus imperio, aeternum gloriae magnitudiniqve suae monumentum statuere voluit, et urbem condere aggressus est, cui parem nec prior aetas vidisset, nec posterior esset habitura. Cui locum in Syria, ut *Diodorus* vocat, vel Assyria, aut Aturia (eandem enim regionem voces hae designant) ad exaedificationem tantae urbis opportunum delegit. Sed ubinam in Syria illam collocaverit, inter auctores video non convenire. *Diodorus lib. II.* Ninum ponit ad Euphratem, eundemqve fluvium urbi Sardanapali temporibus exitium intulisse prodit. *Herodotus* autem ad Tigrim collocat. Ad Lycum alii, qvidam in ulteriore, alii in citeriore fluminis ripa. Cuius in disqvisitione rei ut nobis liceat esse brevioribus, *Bocharti* industria effecit, qvi *lib. IV. Phaleg, c. 20.* haec egregie discussit. Vbi tamen sibi omnino constat, qvem vir Cl. secum ipso committere voluit, *Herodotus*. Qvi, inqvit idem, *lib. 1. cap. 185. obiter de Nino loqvutus, Euphratem amnem fluere scribit* διὰ τῆς πόλιος μέσης. *Sed id recantat idem his verbis c. 193. eiusdem libri*, τὸν Τίγριν, παρ' ὃν Νῖνος οἰκέαται (vel οἴκητο, ut *inf. p. 288.* ex MSCto *Bochartus* corrigit) *et rursus c. 150. lib. 2.* τὸν Τίγριν ποταμὸν παραῤῥέοντα τὴν Νῖνον. Verum haec Viro aliud agenti excidisse credimus. Neqve enim Herodotus Euphratem per mediam Ninum fluere dixit uspiam, sed *l. c.* de Babylone agit, ut verba inspicienti clarum est. De cetero modestiam viri imitari optimum ducimus, qvi in tantis veterum

ſcriptorum pugnis ignorantiam veri fateri maluit, qvam temere qvicqvam affirmare. Certe *Lucianus*, cuius, ut patria illis regionibus proximi, non parva hac in re auctoritas eſt, in Dialogo, cui, χάρων, vel ἐπισκοποῦντες, titulum praefixit, qvum Charon rogaviſſet: τὰς πόλεις τὰς ἐπισήμους ἤδη δεῖξόν μοι, ἃς κάτω ἀκούομεν. τὴν Νῖνον τὴν Σαρδαναπάλου, καὶ Βαβυλῶνα, κ.τ.λ. *Iam vero urbes celebres mihi commonſtra, de qvibus apud inferos audimus. Ninum Sardanapali Regiam, et Babylonem,* &c. Mercurium haec facit reſpondentem: ἡ Νῖνος μὲν, ὦ πορθμεῦ, ἀπόλωλεν ἤδη, καὶ οὐδὲν ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς. οὐδ᾽ ἂν εἴπῃς, ὅπου ποτ᾽ ἦν. ἡ Βαβυλὼν δέ σοι ἐκείνη ἐστὶν, ἡ εὔπυργος, ἡ τὸν μέγαν περίβολον. οὐ μετὰ πολὺ καὶ αὐτὴ ζητηθησομένη, ὥσπερ ἡ Νῖνος. *Ninus qvidem, Portitor, iam periit, neqve aliqvod eius veſtigium ſupereſt. Nec dixeris, ubinam ſita fuerit. Babylon autem illa tibi urbs eſt, qvae ſplendidis turribus, ingentiqve ambitu ſuperbit. Prope tamen abeſt, qvum et ipſa aeqve, ac Ninus, reqviretur.* Fingitur autem ſermo haberi, Croeſo apud Lydos regnante. Si autem, qvae nobis vero propiora videantur, omnino dicendum eſt, non facile alius ſuccurrit auctor, qvem in iis, qvae ad ſitum regionem urbiumqve attinent, contra *Strabonem* nominare poſſemus. Is *lib. XVI.* de Nino: ἡ μὲν οὖν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν. πολὺ δὲ μείζων ἦν τῆς Βαβυλῶνος, ἐν πεδίῳ κειμένη τῆς Ἀτουρίας. ἡ δ᾽ Ἀτουρία τοῖς περὶ Ἄρβηλα τόποις ὁμορία ἐστὶ, μεταξὺ ἔχουσα τὸν Λύκον ποταμόν. Τὰ μὲν οὖν Ἄρβηλα τῆς Βαβυλωνίας ὑπάρχει, ἃ κατ᾽ αὐτήν ἐστιν. Ἐν δὲ περαίᾳ τοῦ Λύκου τὰ τῆς Ἀτουρίας πεδία τῇ Νίνῳ περίκειται. *Vrbs ergo Ninus poſt deſtructum Syrorum imperium ſtatim deleta eſt. Multo autem maior Babylone fuit, in campis ſita Aturiae. Aturia vero locis circa Arbela ſimilis eſt, et Lyco amne media ſecatur. Arbela igitur ad Babyloniam pertinent, qvippe qvae iuxta eam ſunt. Trans Lycum vero campi Aturiae Nino circumiacent.* Qvibus Ninum in altera Lyci ripa collocat, qvum Arbela in orientali eſ-

ſent.

ſent. Fuit ergo urbs a Lyco verſus Tigrim porrecta, et facile ob amplitudinem moenium fieri potuit, ut hinc Tigri, illinc Lyco allueretur. Qvam vero urbem *Ammianus*, et inſeqventium temporum ſcriptores alii, trans Lycum ſtetiſſe commemorant, propinqvo qvidem, non vero eodem in loco excitata videtur, qvod fatum magnarum urbium plurimis commune fuit.

Nec id nos conturbet, qvod reliqvis Ninus non in Aturia, ſed Adiabene ponitur. Nam his regionum nominibus auctores diverſiſſima ratione utuntur. *Strabo* τὴν τῶν Ἀσσυρίων χώραν deſcribens, Ἀτουρίαν et Ἀδιαβηνὴν, ut partes diſtingvit; et huius partem maximam Babyloniae attribuit: τῆς μὲν οὖν Ἀδιαβηνῆς ἡ πλείστη πεδιάς ἐστι, καὶ αὐτὴ τῆς Βαβυλωνίας μέρος οὖσα. *Maiorem Adiabenes partem campi tenent, qvae et ipſa ad Babyloniam pertinet.* Qvibus autem terminis utramqve definiat, non adeo in aperto eſt. Medio tamen inter Lycum et Caprum ſpatio eas finire videtur, qvum Gaugamela Aturiae, Arbela vero Adiabenae ab ipſo tribuantur, qvae utraqve inter Lycum et Caprum interiecta ſunt. Atqve ex his terminis, a Strabone fixis, *Diodori* qvoqve mentem rectius aſſeqvi poterimus, qvi *lib. XVII.* de Dario loqvens: ἔσπευδε, inqvit, περὶ τὴν Νίνον ποιήσασθαι τὴν παράταξιν, εὐθετωτάτων ὄντων τῶν περὶ αὐτὴν πεδίων, καὶ πολλὴν εὐρυχωρίαν παρεχομένων τῶν ἠθροισμένων ὑπ' αὐτοῦ δυνάμεων, *Studebat autem circa Ninum aciem inſtruere, eo qvod campi circa illam eſſent aptiſſimi, et explicandis copiis a ſe collectis ſpatia liberrima praeberent.* Qvum enim pugna ad Gengamela Aturiae, non Arbela commiſſa fuerit, ut *Strabo* accurate diſputat, inter campos praelio tam inſigni nobilitatos et Ninum Lycus ſolum intereſt. Aliis Adiabene latius extenditur, ut ad Tigrim qvoqve excurrat, atqve adeo Strabonis Aturiam ſuis finibus includat; ita a *Mela lib. I. cap. 11.* accipitur. Qvin ultra Tigrim in Meſopotamiae fines proferre videde-

detur *Herodianus lib. III. cap. 9.* ubi Severum, peragrata Meſopotamia et Adiabene, Arabiam felicem depopulatum eſſe ſcribit. Et τὰς Ἀδιαβηνῆς σατραπείας *Zoſimus* in numero plurium commemorat *lib. III. cap. 12.*

Igitur cum *Athan. Kirchero* facere non poſſumus, qvi *in deſcriptione turris Babel* Ninum media inter Tigrim et Euphratem ſpatia longitudine ſua occupaſſe contendit. Idem in eo qvoqve fallitur, qvod univerſam Aturiae provinciam Nini moenibus incluſam fuiſſe putat; *Strabone* contra teſtante, τὰ τῆς Ἀτουρίας πεδία τῇ Νίνῳ περικεῖσθαι.

Formam et faciem urbis nemo *Diodoro* luculentius deſcripſit. Ἔκτισεν ὁ Νῖνος πόλιν εὖ τετειχισμένην, ἑτερόμηκες αὐτῆς ὑποστησάμενος τὸ σχῆμα. Εἶχε δὲ τῶν μὲν μακροτέρων πλευρῶν ἑκατέραν ἡ πόλις ρν' σταδίων, τῶν δὲ βραχυτέρων, ἐνενήκοντα. διὸ καὶ τοῦ σύμπαντος περιβόλου συσταθέντος ἐκ σταδίων τετρακοσίων καὶ ὀγδοήκοντα, τῆς ἐλπίδος οὐ διεψεύσθη. τηλικαύτην γὰρ πόλιν οὐδεὶς ὕστερον ἔκτισε κατά τε τὸ μέγεθος τοῦ περιβόλου, καὶ τὴν περὶ τὸ τεῖχος μεγαλοπρέπειαν. Τὸ μὲν γὰρ ὕψος εἶχε τὸ τεῖχος ποδῶν ρ', τὸ δὲ πλάτος τρισὶν ἅρμασιν ἱππάσιμον ἦν. οἱ δὲ σύμπαντες πύργοι τὸν μὲν ἀριθμὸν ἦσαν χίλιοι καὶ πεντακόσιοι, τὸ δ' ὕψος εἶχον ποδῶν διακοσίων. κατῴκισε δ' εἰς αὐτὴν τῶν μὲν Ἀσσυρίων τοὺς πλείστους καὶ δυνατωτάτους, ἀπὸ δὲ τῶν ἄλλων ἐθνῶν τοὺς βουλομένους· καὶ τὴν μὲν πόλιν ἐκάλεσεν ἀφ' ἑαυτοῦ Νῖνον, τοῖς δὲ κατοικισθεῖσι πολλὴν τῆς ὁμόρου χώρας προσώρισεν. *Vrbem Ninus firmiſſimis moenibus, figura oblonga extruxit. Et bina qvidem latera, qvae erant longiora, centum qvinqvaginta: qvae breviora, nonaginta ſtadia patebant. Itaqve qvum totus urbis ambitus qvadringentorum et octoginta ſtadiorum eſſet, ſpes eum non fefellit. Talem enim urbem tanto ambitu moenium, tantaqve murorum magnificentia nemo poſtea condidit. Siqvidem murus centum pedes altus id ſpatium in latitudinem amplectebatur, ut tres currus libere inter ſe commeare poſſent. Turres vero numero*

erant

erant mille et viginti, ducentos pedes alti. *Incolas in eam plerosqve et potentiſſimos Aſſyriorum duxit: ex reliqvis autem gentibus, qvi ſua ſponte vellent.* *Ac urbi ex ſe Nini nomen indidit, incolis vero magnam attribuit finitimae regionis partem.* Qvae, licet pluſcula, hic adducere viſum fuit, qvum univerſum negotium uno velut aſpectu lectori repraeſentent. Plana qvoqve eorum ope ſunt, qvae *Ionas*, divinus vates, de urbe Nino prodidit, multis et Hebraeorum et Chriſtianorum, ſubſidiis interpretandi hic deſtitutorum, ſententiis vexata. Duo ille affirmat *cap. III, 3.* Primum eſt: ונינוה היתה עיר גדולה לאלהים׃, Alterum: magnam fuiſſe מהלך שלשת ימים׃ Vbi in priori nomen divinum non tantum ad excellentiam rei notandam additur, ſed ſignificat potiſſimum, ad eam magnitudinem non ſine nutu auxilioqve divino perveniſſe, qva in re *Lutherum* noſtrum ſeqvimur, eadem *in c. Gen. XXX. comm. 8.* commentantem. Iter autem trium dierum qvid ſibi velit, obſcurum ei eſſe non poteſt, qvi vatis ſacri verba cum deſcriptione Diodori comparaverit.

Non deſunt, qvi Ninum τετράπολιν faciant, et uni parti ſpeciatim Ninives, alteri Rechoboth Ir, tertiae Chelach, qvartae Reſen nomen tribuant, ita ut qvatuor hae urbes magnam illam celebratamqve urbem efficiant, qvod a Moſe Gen. X, 11, et 12. putant inſinuatum. Ferme ut Syracuſas *Tullius lib. IV. in Verr.* Antiochiam *Strabo lib. XVI.* deſcribit. Atqve in iis magnum ſeculi ſuperioris lumen *Dav. Chytraeus Comm. in Gen. cap. X.* eſt. Verum hic ſuo qvemqve ſenſu facile patiemur abundare: negare tamen nolumus, communem interpretationem verbis Moſis convenientiorem videri. Qvin et in Aſſyria peculiaris regio Καλαχηνὴ fuit, cu-

C ius

ius apud *Strabonem l. XVI.* mentio fit, veſtigia nominis antiqvi aperte ſervans.

Nahumi II, 7. τῶν שערי הנהרות mentio ſit, qvae per portas ad fluvios Aſſyriae ducentes, propugnaculis firmatas explicat *Bochartus in Phaleg lib. IV. cap. XIX. p. 276.* Forte catarhactae aut aliae moles, retinendis immittendisqve fluminibus excitatae intelliguntur. Sane in clade Nini, ab Arbace illata, ſimile qvid iis accidiſſe, qvae hic a Propheta dicuntur, *Diodorus* meminit, qvum disiecta aqvarum impetu longo ſpatio moenia et hoſtibus viam darent, et Sardanapalo ſpem omnem adimerent ſalutis. Sed qvoniam altera Nini everſio, qvam Deus Nahumi voce minatus eſt, neqve a ſacris, neqve a profanis ſcriptoribus paullo diſtinctius traditur, tota res in obſcuro eſt.

Illud autem extra omnem controverſiam ponendum, nihil a vero alienum tradidiſſe Diodorum, qvum omnes, qvotqvot unqvam fuerunt, urbes infra Nini magnitudinem fuiſſe refert. Neqve enim fabuloſa Thebarum Aegyptiarum ſpatia moramur, qvae apud *Stephanum* patuiſſe qvondam in longitudinem qvadringenta ſtadia leguntur. Potius *Straboni lib. XVI.* fidem nos adhibere aeqvum eſt, qvi locum coram inſpexit, et veſtigia priſcae magnitudinis per octoginta ſtadia monſtrata fuiſſe tradidit. Qvod vero apud *Nahumum* Ninus cum Dioſpoli vel Thebis (eae enim No Amon ſunt) confertur, id non de urbis amplitudine, ſed firmitate imperii, et munimentorum robore intelligendum eſt. Id enim inſtituto Prophetae ſufficit. Babylon tamen Nino compar fuerit, ſi *Herodoto*, qviqve hunc ſeqvitur, *Plinio* credamus. Etenim eius ambitum ille CCCCLXXX. ſtadiis, hic millibus paſſuum ſexaginta deſcribit. Imo *Ariſtoteles lib. III. Polit.*

Polit. cap. 2. eam cum Peloponneſo confert, cuius ambitus ſecundum *Strab. lib. VII.* qvatuor ſtadiorum millia continet. Verum qvum alii diſſentiant, eorum auctoritatem libentius ſeqvimur, qvi non audita, ſed viſa; non vanas, aut certe non ſatis providas aliorum narrationes, ſed certiſſimis rerum argumentis comperta tradiderunt. Qvos inter Cteſiam et Clitarchum apud Diodorum, tum etiam Strabonem iure optimo referimus: qvorum ratio nec multum a ſe diſtat, et certa huius rei notitia nititur. Cteſias ſpatium ſtadiorum CCCLX, Clitarchus CCCLXV. Semiramin muro complexam eſſe, memoriae prodidit. Strabo vero CCCLXXXV. ſtadia ponit, et Ninum Babylone multo maiorem fuiſſe diſertiſſime teſtatur. De Qvinſai autem Cathaiae urbe M. Paullus Venetus maiora fide tradidit.

Non alienum videtur, an recte tanta urbis mole Ninus ſecuritati rerum ſuarum conſuluerit, breviter hic conſiderare. Siqvidem a rerum civilium peritis annotatum eſt, univerſas imperii vires in uno loco collectas adverſus externum hoſtem ſe qvidem facilius tueri, qvod et conſilium et copiae illi opponendae promptius expediantur: plerumqve tamen inteſtinis laborare malis, et novis rebus, mutationibusqve rerum occaſionem dare; ac in univerſum populari potius imperio, qvam regio convenire. Obſervatum et illud eſt, eos plurimum potentia et ſumma rerum excidiſſe, qvos ſemel pars adverſa ſede excluſerat imperii, qvum illam in tempore occupare, aut firmis copiis tenere neglexiſſent. Ex hoc certe fonte, qvod ingens civium multitudo, et ſuopte ingenio, et Reipublicae inſtituto, vigens animis, atqve ex bellica laude omne decus ſuum repetens, unius urbis moenibus contineretur, pleraeqve priſcae Romanorum Reip. muta-

tationes, et inqvietus civitatis ſtatus profluxerunt. Tarqviniis portas claudere, atqve abrogare imperium auſi non fuiſſent, niſi tot virorum millia mutuo conſpectu ſibi invicem animos auxiſſent. Atqve ut alia omittam, non ulla re magis Pompeius Caeſari victoriam tradidit, qvam qvod urbem primo, deinde Italiam deſeruit, conſilio a principio ſtatim minus cauto, nec *Ciceroni* probato. vid. *lib. VII. et VIII. Epiſt. ad Atticum.* Si recentiora reqviramus exempla, regnanti Carolo I. fatalis ex urbe Londinienſi diſceſſus fuit, propterea qvod ſede regni relicta perduellibus audacia crevit, et Regi exitium eſt acceleratum. Ea de cauſſa Ludovicus XI. bello a Principibus petitus, nihil antiqvius habuit, qvam rerum caput Lutetiam tueri, ut refert *Cominaeus.* Idcirco Rex Ninus omnibus Regibus tradidit exemplum retinendi urbes ſedesqvè regias, ex qvibus reprimi et refraenari populorum motus poſſunt. Qvamvis Ninus non tam de imperio, per urbis amplitudinem firmando, qvam de gloria nominis amplificanda cogitaſſe mihi inprimis videatur. Probavit tamen eventus conſilium, ac Regibus usqve ad Sardanapalum florentiſſimum imperium praeſtitit. Sed non ex eventu ſolo facta diiudicanda ſunt, ne ſapientiſſima bonorum virorum conſilia, dolis improborum hominum impedita ac ſubverſa, temere imprudentiae arguamus. Et dantur adhuc alia, qvae hoc Nini inſtitutum aeqvis iudicibus approbare qveant. Vt enim id taceam, qvod nunc afferre ſupervacaneum eſt, praecipi ab iis, qvi rei publicae notitiam profitentur, ut, ſi per regionis ſitum fines usqveqvaqvè adverſus hoſtiles impetus muniri ſatis non poſſunt, locus certus eligatur, iuſtisqve firmetur praeſidiis, ad qvem, rebus dubiis, ſubiecti, tanqvam ad arcem ſalutis ſuae caua confugiant, receptumqve habeant:

ant: illud gentium, qvas Ninus ſub imperio habuit, ingenium ſemper fuit, cui penitus infixa erga Reges reverentia praeſenti ſtatu contentas, et procul a ſeditionibus bellisqve civilibus agere, maieſtatemqve Principis obſeqvio colere et revereri iuberet. Neqve enim unqvam iis populis imperium, niſi unius, placuit, adeo ut ſvetus Regibus Oriens non ſine exprobratione ſervilis animi dicatur, ap. *Tac. lib. IV. Hiſt. cap. 17.* In qvo a priſcis Europae noſtrae incolis maxime diſſentiunt, qvorum pleriqve, ne Reſp. ſua unius arbitrio ſubeſſet, qvidvis potius experiri, qvam Reges pati, malerunt. Acceſſit provida Ninyae, Nini F. ratio, qvi qvum parto a parentibus imperio frui conſtituiſſet, et praecipuum imperii robur in Nino urbe eſſe animadvertiſſet, eam, tanqvam caput rerum, deſerere nunqvam voluit, ne captata forſan per ſuam abſentiam occaſione alius ſolium invaderet, aut tranqvillas res turbaret. Contra ſeditiones populi, in tanta urbe ſine dubio numeroſiſſimi, exercitus praeſidium comparavit, ex provinciis qvotannis noviter conſcripti, qvi et civibus, ſi novis rebus ſtuderent, praeſens terror eſſet, et adverſus ſubita hoſtium pericula muniret. Qvoniam autem in fide huius exercitus et Regis et regni ſalus praecipue continebatur; ne ille, vires ſuas aeſtimans, dare vellet, non accipere, imperium novis in ſingulos annos delectibus habitis providit: atqve hac ratione feliciter evitavit incommodum, qvod Occidentis olim imperium fere ſubvertit, et noſtra aetate Turcicum graviter afflixit. Tum vero ſplendidiſſima qvaeqve, ſi qvotidie oculis obverſentur, minus admirationis habent, et facile aliqvid de priſtina dignitate amittunt. Contra Aſſyrii raro ſe videndos exhibue-

runt, et ex longinqvo, aut abdito maiestatem ostentarunt: ita factum est, ut voluptates, qvas petulanter sectabantur, non emanarent in vulgus, neqve ipsi adeo in contemptum venirent, sed divinis honoribus, tanqvam Dii, a conspectu hominum remoti colerentur. *Diodorus lib. II.*

An vero eandem imperii famam venerationemqve urbs Ninus usqve ad Sardanapalum integram servarit, dubium est. *Mela lib. I. cap. 11. Syria*, inqviens, *olim ac diu potens: sed qvum eam regno Semiramis tenuit, longe potentissima;* innuit, minorem Assyriis potentiam post Semiramidem fuisse. Si coniecturis locus, post Ninyae mortem, vel sub extrema eius tempora provinciae ad motum spectabant, et exuere imperium cupiebant, nec nisi gravissimis bellis ab Assyriis iterum perdomitae videntur. Post Ninum enim Thuram, sive Thurram regnasse, et ingentem bello qvaesivisse gloriam, tradunt scriptores, adeo, ut Assyrii eum pro Marte haberent, divinoqve honore afficerent, qvod ex priscis Assyriorum monumentis, atqve ex Ioanne Antiocheno *Bochartus* et *Vossius* annotarunt. Sed qvis ille fuerit, qvaeritur. Si, qvid nobis maxime probabile videatur, paucis licet exponere, Arium Ninyae F. et successorem indicari vix dubitamus. Enimvero qvum proxime a Nino regnasse traditur, non Ninus prior, urbis Nini conditor, sed filius eius intelligendus est, plerunqve Ninyas vocatus. Qvod cum urbis nomine Hebraeo convenire, magnus *Scaliger in Append. ad libros de Emend. Temp. p. 43. et in Animadvers. ad Euseb. p. 15. et 16.* censuit. Qvin Ninum etiam *Cephalaeo* vocat *in Fragmentis Euseb. p. 30.* Idem Zameis, Ζάμης et Σάμης dicitur, vid. *Hieron. in Chron. Euseb. p. 11. et 59. Graeca fragmenta Euseb. p. 19. et 77.* Vnde verba Io. Antioche-

tiocheni, et Fastorum Siculorum Thurrae Ζάμην patrem tribuentium, lucem accipiunt: ut necesse non sit, cum *Vossio l. c. p. 126. et 181.* Ζάνης vel Ζὰν reponere, et pro Iovis nomine habere: aut cum *Bocharto* per Ζάμην Semum intelligere, cuius filius Assur (ex qvo nomine Θούρας per aphaeresin esse coniicit) Nino, id est, Nimrodo, in imperio successerit. Si enim Ninus Nimrodus est, et successorem Assurem Semi F. habuit; Nini posteros usqve ad Sardanapalum Asiae regnum tenuisse, falsum erit, qvod tamen constanter ab Historicis memoriae proditur. Nostrae vero sententiae nomen etiam Ἄρειος egregie suffragatur, cum eo satis apte conveniens, qvod Thuram a Patre Ἄρειος nomen accepisse, et deinceps ab Assyriis pro Marte, bellorum praeside, consecratum fuisse legimus. Forte qvum eius nomen Belli Deum sonare Graeci intelligerent, illud sua lingva per Ἄρεα et Ἄρειον exprimere voluerunt. Nisi et ipsum Ἄρην ex oriente deducendum; qvam suspicionem anceps Syllabae prioris mora iniicit, de qva notum etiam *Martialis* epigramma est. *Vossius* sane ab עריץ formar, *lib. 1. de Idol. p. m. 168.* Atqve in huius Regis tempora bellum Sodomorum *Gen. XIV.* descriptum incidit, qvod ab illo per Satrapas gestum est, si *Iosepho lib. I. Originum, cap. 10.* fides habenda. Qvamvis autem, qvae conseqvuta sunt tempora, ob scriptorum inopiam nobis obscura sint et lateant, mansisse tamen regno Assyriorum diu adhuc veteris imperii gloriam, et longinqvis etiam populis reverentiam, fatendum omnino est, si Priamus eiusqve regnum in fide ac clientela Assyriorum fuit, iisqve a Tevtamo, Memnone Imperatore, auxilia missa sunt, qvod a *Diodoro* traditur: qvocum tamen

men tempora excidii Troiani non conſentiunt, qvod ex *Petavii* calculo ſub Thinaeo, altero a Tevtamo Rege contigit, Anno P. I. 3530. qvanqvam *Diodoro* Tevtamus a Ninya vigeſimus tantum, *Petavio* tertius vigeſimus numeretur. Brevi tamen poſt auctoritas Aſſyriorum in regionibus ad mare mediterraneum Graeciae obverſis, et finitimis, concidiſſe videtur, qvum tam profunda rerum Aſſyriarum ignorantia Graecos tenere non potuerit, commerciis coloniisqve oram Aſiae freqventantes, niſi longius Aſſyrii imperii fines abfuiſſent. Vt adeo poſtrema aetate in Orientem potiſſimum illud patuiſſe cenſendum ſit, magnum nihilominus, et vicinorum libertati metuendum, niſi voluptates prae gloria et cultu virtutis placuiſſent, qvippe adhuc Sardanapalus Babylonios, Arabas, Perſas et Bactrianos, ſibi partim obſeqventes, partim obnoxios, alios clientelae nexu coniunctos, alios foedere, ſaltem iniqvo, devinctos, alios vectigales, reliqvos metu potentiae addictiores, et veneratione, cultu, officiis maxime conciliatos ac promptos habebat.

)(o)(